Rectilineum aut rectangulũ est, aut obliquangulum.

In rectangulis crura vocamus, quæ rectum angulum ambiunt: hypotenusam, quæ subtendit.

Prop. 2. *In rectangulo Logarithmus cruris æquatur aggregato ex Logarithmo anguli ei oppositi, & Logarithmo hypotenusæ.*

Quum ex Trigonometriæ principiis pateat, alterutrum vis crus se habere ad sinũ anguli ei oppositi, ut hypotenusa ad sinum totum: &(per prop. 5. cap. 2. lib. 1.)horũ quatuor proportionaliũ logarithmi secundi & tertii, æquẽtur logarithmis primi & quarti: quarti autẽ Logarithmus sit 0, seu nihil(per collarium 6 def. cap. 1. lib. 1.)Ideo(ut supra)Logarithmus cruris æquatur aggregato ex Logarithmo anguli quem subtendit, & Logarithmo hypotenusæ.

Corol. *Unde hypotenusæ, cruris, & anguli quem subtendit, duobus quibuscunque datis, tertium, atque inde reliqua omnes rectanguli partes innotescent.*



Quia enim hæc tria cum sinu toto constituunt quatuor proportionalia, certum est eorum quodvis quarto loco posse constitui, & per 3. probl. cap. 5. lib. 1. acquiri.

Vt trianguli oblati A. B. C. in A rectanguli, detur hypotenusa B. C. 9385, cum crure A B 9384. Quæruntur anguli obliqui C. & B. Ex Logarithmo igitur A. B. 635870——000, auferatur Logarithmum B C. 634799——000. Supersunt 1071 Logarithmus anguli C, cui in tabula respondent 89 g. $9\frac{3}{4}$ pro angulo C. & ex adverso 0 g. $50\frac{1}{4}$ pro ejus complemento, angulo scilicet B.

Vice

Vice versa si detur angulus C, cum crure recti anguli A. B., & quæratur hypotenusa B. C.

Ex Logarithmo A. B. 635870——000 aufer Logarithmum anguli C. 1071, & provenient 634799——000 Logarithmus B. C. 9385 hypotenusæ quæsitæ.

Tertio si datis B. C, & angulo C. quæratur A B: adde Logarithmum B. C. 634799——000, ad 1071 Logarithmum anguli C., & producentur 635870——000 Logarithmus numeri 9384 cruri A. B. quæsito respondentis. Nec secus ipsum crus reliquum A. C. ex angulo B. (qui est complementum anguli C.) jam cognito habetur. Atque ita omnes hujus rectanguli partes innotescunt.

Prop. 3. *In rectangulo Logarithmus cujusvis cruris, est æqualis aggregato ex differentiali oppositi anguli, & Logarithmo reliqui cruris.*

Quum ex vulgari doctrina triangulorum constet, quod alterutrum crus se habeat ad tangentem sibi oppositi anguli, ut reliquum crus ad sinum totum: & quum (per prop. 5. cap. 2. lib. 1.) ex his quatuor proportionalibus Logarithmi mediorum (id est, differentialis anguli, & Logarithmus cruris eum ambientis) æquentur Logarithmis cruris eundem subtendentis, & sinus totius (qui est nihil, seu 0.) ideo Logarithmus cruris est æqualis aggregato, &c. ut supra.

Corol. *Unde ex cruribus recti, & angulo alteri eorum opposito, duobus quibuscunque datis, tertium (per hanc,) atque proinde cæteræ omnes rectanguli partes (per præced.) innotescent.*

Quandoquidem hæc tria cum sinu toto constituant quatuor proportionalia, certum est eorum quodvis quarto loco posse collocari, & per 3. probl. cap. 5. lib. 1. acquiri.